

## A MOLES. VSUS LOCVS.

Maximæ Pyramidum moles in Ægypto memotantur sunt que omnium quæ in orbe reperiuntur altissimæ & latissimæ, haud procul à Cayro Ægypti Metropoli, & à Nilo dumtaxat tertio lapidis iactu. Ac præ cæteris eminent tres, ob magnitudinem inter mundi miracula numerata. Describit eas *Bellonius oculatus testis* l. 2. *Observationum*, cap. 42. In qua descriptione cum plura sint, quæ lectorem alliciant, non erit à proposito alienum, si eandem integrè hic adferamus. Ita verò ait: Pyramides videntur esse montes immensæ manitudinis, sed earum etiam moles magno hominum labore eò congestæ fuerunt. Locus ubi sitæ sunt admodum arenosus & sterilis est, cuius *Plinius* Herodotum secutus in hæc verba meminit: Arena latè pura circum, lentis magnitudine. Maximæ pyramis procul aspicientibus minor secunda esse videtur, quod humiliore loco sita sit: sed si quis propè adfuit, sine comparatione multo maior apparet.

Cæterum magis admirandæ reuerà sunt, quam Historici eas descriperunt. Amplissima extracta est gradibus foris prominentibus. Nos eius banem dimenli sumus, quæ quatuor angulorum paribus interuallis cum sit, trecentos viginti quatuor passus habet in singula latera, paululum extensis curvibus, gradiendo singulos passus numerantes. A basi autem ad cacumen ipsius supputationem facientes, comperimus circiter ducentos quinquaginta gradus, quorum singuli altitudinè habent quinque solearum. Calcei noem pollicum longitudinis. In eius fastigio cum essemus, aperte Cairum ex aduersa parte Nisi situm, qua Arabiam desertam spectat, conspiciere potuimus, ad septentrionem verò conuersi, vniuersam Ægypti regionem veluti submersam, maris alicuius instar videbamus: inde porrò ad Meridiem obuertentes faciem qua Africa est, arena sterilis nostris oculis dumtaxat apparebat. Considerata autem ea Pyramidis parte, quæ septentrionem spectat, eam comperimus magis corruptam, quam reliquis partibus; & quoniam cum no-magis humiditas ventis aquilonaribus agitata, æturi rotis, tum Nili humiditas ventis aquilonaribus agitata, plurimum illam absorbit; manentibus aliis, quæ vel Orienti vel Septentrioni obiectæ sunt, attamen ab humore non asperguntur; integris. Nam Aquilo in Ægypto humidus est, cum in aliis regionibus desiccat. Et hæc quidem de exteriori amplissima primæque Pyramidis parte.

Nunc de interioribus partibus sermone in situere volumus. Nos eam ingressi sumus per quadratum foramen, quod subire non licet nisi curuato corpore, nam transuersim fabricatum est, hoc est, ex alto in imum descendendo. Sine autem probabili ratione illud ita extruxisse non videtur artifex: nam si obliquum fecisset, nullum in Pyramidis cavitatem luam recipi potuisset. Singuli autem eam accensum in manu habentes, in id foramen descendimus, (pluribus enim simul non licet) nam cum ad inum peruenissemus, vt in cavitatem ingredere-mur, in ventrem procumbendum fuit, & serpentium more perreptandum, nec adhuc sine difficultate ingressi sumus. In ipsa Pyramide vacuum quendam locum inuenimus: inde ad sinistra progressi, alium meatum pergula quadræ satis affabrè excisæ, per quem ad superiora ascensus est, qua vir erectus gradi potest: nam satis amplus & altus est, magnis latique & perpolitissimis splendidibusque lapidibus constructus, nullis tamen gradibus. Sed podia, quæ vtrique existant, manu apprehendenda sunt, quo facilius ascendi possit. Confectis igitur hac ratione quindecim aut sedecim passibus, peruenitur in elegans cubiculum quadrangulum sex passus longum, & quatuor latum, quatuor verò vel sex orgijs altum, & totidem latum sine operculo. Sepulchrum Regis cuiuspiam Ægyptij id fuisse certum est, in cuius gratiam Pyramidis istius moles erecta fuit: id autem sepulchrum istuc repositum fuisse ante Pyramidis substructionem, non dubium est. Inde regredientes, & per spatiosum illum meatum descendentes, ad septentrionem vergebamus, Egressi ad sinistram nos conuertimus, vbi puteum inuenimus, sed lapidibus nunc ferè plenum. Hæc Pyramidum historia ab Herodoto, multisq; aliis Græcis est prodita. *Plinius* verò inter Latinos scribit puteum admodum profundum esse, nihilque certius est, ex eo aquam hausit ad fabricam substruendam, & opera potandum: nam interior Pyramidis pars opere signino ex calce & arena constructa est, quod indicium est aqua opus fuisse. Cum in primam ciuitatem regressi, longius progredere-mur, exiguum aliquam eius partem ad sinistram reperimus constructam: nam alioqui solida est substructio. Istic vesper-tiones orant à nostris diuersi, & ab his quos antea in Creten-

si Labyrintho conspexeramus: nostri enim caudam aliis longiore non habent; at his oblonga est cauda instar murium, quatuor digitis alas superans longitudine. Pyramide tandem egressi, ad secundam nos contulimus. Amplissimam porrò hanc pyramidem primò descripsimus, eò quod reliquas magnitudine & præstantia superet, & quæ ipsa sit, quam omnes veteres auctores aspectu admirabilem esse scriperunt. Peritissimus atque validissimus sagittarius in eius fastigio existens, atque sagittam in aërem emittens, tam validè eam eiaculari non poterit, vt extra molis basim decedat, sed in ipso gradus caderet, adeò vastæ latitudinis, vt diximus, est hæc moles.

Altera Pyramis, quæ magnitudine secunda est, nullis gradibus foris prominentibus est instructa; eam ob rem scandi non potest; ea quoniam editiore quam prior loco est, procul aspicientibus maior esse videtur, propius autem contemplanti contrarium deprehenditur. Eius forma quadrangula est, vti superior, sed vsque ad fastigium solida. Primæ fastigium in planitie definit, duos passus in diametro patentem, in qua quinquaginta homines consistere queant: hæc autem in culpidem definit minus capacem, quam vt homo in ea stare possit. Foris intrita incrustata est, atque eius pars quæ ad septentrionem vergit, perinde ab humore quem Aquilones ex aqua Nili & nocturno rore illi inspergunt, corrupta est, atque prior. Stellationes Græcis Coliti nuncupati, circum has Pyramides admodum frequentes sunt, & in sepulchrorum caueis, quæ per vnam planitiem passim sparsæ sunt. Inter lapidum interstitia domicilia habent, mulcaque venantur, vt nos obseruauimus. Tarentolis quæ ædificia incolunt, similes essent, nisi compatiore essent corpore, crassiorèque & planiore capite. Hi sunt qui excrementum illud excernunt, quod veteres Crocodileam appellarunt, nostræ verè officinæ sterco lacerti. Turcicæ mulieres faciem illo fucant, atque in omnibus Turcorum aromatariorum officinis venale prostat: sed & in nostra Europa satis magnus est vsus.

Tertia Pyramis duabus superioribus longè minor, tertia est autem parte maior ea quæ apud Testaceum montem est Romæ, quæ ad D. Pauli eundem est, itinere Ostiensis. Adhuc integra est, nec magis rimis corrupta, quam si iam recens extructa esset: Marmoris enim genere constat, quod Bafales nuncupatur, vel lapis Æthiopicus, ipso ferro durior. Ex eo lapide magna ex parte excisæ sunt omnes Spinges Ægyptiæ, quales Romæ in Capitolio conspiciuntur, ab Ægyptiis aliquando sculptæ. Hæc tertia Pyramis sagittæ iactu longius distat quam secunda. Minimam illam appellamus, comparatione ad duas priores facta: nam licet Romana quinquaginta candidi marmoris perpolitissimis ordinibus incrustata sit, Ægyptiæ in morem, eius tamen artifex magna solertia vsus fuisse non videtur, si etiam cum minima Ægyptiæ conferatur, quarum plus quam centum per eam planitiem hinc inde sparsæ conspiciuntur: nam ne vnica quidem ex illarum numero adeo vitata reperitur, vti Romana. Eam ob causam illarum comparatione nouam appellare licebit: etenim eius interior pars rudere ex tegulis, arena, & calce conflato dumtaxat constat, quod subsidens, marmoris incrustationem dissoluit; sic vt singula latera iam rimas agentia & fatiscientia Terebinthis, Cappariibus, Genitis, Rubis, Tinis, Teucro, Absinthio, aliisque stirpibus locum dederint, in quo radices agerent: nisi lapides ferro & plumbo firmati essent, iam dudum corruissent.

Præter superiores tres, plurimas alias minores hinc inde per arenosam illam Africae solitudinem sparsas vidimus: quarum pleræque etiam paræ & rudioris operis, tum varij generis sepulchra, ad corporum cedia & nitro conditorum sepulturas in Ægypto destinata, quemadmodum bitumine in Iudæa.

Historici prodiderunt, Ægyptios pro facultatum ratione sepulchra sibi condidisse. Opulentiores aliquid opus magnificentius & præstantius fabricari curabant, vt Obeliscos, Colossos, Pyramides: mediocri fortuna homines, alia mediocria opera: neminem autem adeo tenuis fortuna fuisse, qui non aliquot lapides in cumulum congestos pro sepulchro haberit. Locus in quo sunt sepulchra extructa adeo incommodus & desertus est, vt nemo istuc habitare, aut quidquam serere possit. Inde Plato occasionem sumpsit, leges sancienti, vt sterilia loca defunctorum sepultura dicantur: quod & Græci & Turcæ nunc etiam obseruant, Abrabum imitatione: nam mortuos sepeliunt salebrosi locis, ad colles aliquos alioqui natura steriles.

\* Pythonis